This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

416.


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

DS
231
G4

Franz Praetorius.

Berlin. Dresden. 1869.

DE

AETHIOPUM IMPERIO IN ARABIA FELICI.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ORDINIS AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIII. H. XII.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Johann Friedrich Leopold

IO. FRID. LEOPOLDUS GEORGE

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

Ott. Wilmans, phil. Cand.

Franc. Vorländer, phil. Cand.

Henr. Markwart, theol. Cand.

BEROLINI

TYPIS ACADEMIAE SCIENTIARUM.

MDCCCXXXIII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

FRIDERICO WILKEN

THEOLOG. ET PHILOS. DOCTORI HISTORIAE ET LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA EQUITI REGI A CONSILIIS REGIMINIS INTIMIS MAGNO DUCI BADENSI A CONSILIIS AULICIS REGIAE BIBLIOTHECAE BEROLINENSIS SUMMO BIBLIOTHECARIO REGNI BORUSSICI HISTORIOGRAPHO ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BORUSSICAE SOCIO ORDINARIO PLURIMARUM ACADEMIARUM AC SOCIETATUM MEMBRO ETC. ETC.

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO AMPLISSIMO DOCTISSIMO

LUDOVICO IDELER

PHILOS. DOCTORI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA EQUITI REGIO ASTRONOMO ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BORUSSICAE SOCIO ORDINARIO PLURIMARUM ACADEMIARUM AC SOCIETATUM MEMBRO ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS AC FAUTORIBUS SUIS

AD CINERES USQUE

AMANDIS ET COLENDIS

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

TANQUAM EXIGUUM SUMMAE PIETATIS GRATISSIMIQUE
ANIMI SIGNUM

OFFERT

AUCTOR.

Arabic
Hieramann
4-11-28
16867

Quum difficillimum sit, antiquam populi cuiusdam historiam pertractare fontibus ex quibus hauriri possit deficientibus, ubi aut fabulae ore propagatae sermoneque posteritati proditae aut aliorum populorum narrationes propter regionum longinquitatem morumque inscitiam parum certae ac fidae investigatori restant, quibus res componat, falsa eruat, diversa conciliet, vera et accommodata congerat iustoque ordine disponat, difficultas certe augetur in veteri Arabum historia describenda. Tota enim huius gentis historia valde obscura et implicita nondum satis cognita et explanata videtur, quum multi eorum libri manuscripti adhuc reconditi lateant operamque peritorum desiderent, qui occultas opes, quibus melior totius orientis cognitio effici possit, in adspectum lucemque proferant. Accedit, quod historiarum scriptores sive Graeci sive Romani pauca tantummodo nobiscum de Arabum gente communicant, ita ut fere semper Arabum libri seriori tempore scripti soli remaneant, et comparandi vel corrigendi ne facultas quidem data sit. Minus quidem, quae modo dixi, in eam quam equidem elegi partem quadrare videntur. Exstant enim multae Arabicorum scriptorum narrationes, nec desunt Graeci, Latini, Syriaci fontes, qui hanc rem breviter comme-

morent vel accuratius pertractent. Sed nova neque exigua difficultas inde enascitur, quod ipsi inter se tantopere dissentiunt, ut difficillimum videatur diversa vel contraria inter se conciliare.

Multi viri docti hac de re iam disseruerunt, nemo tamen tanta cum diligentia ac cura quam Franc. Walchius in historia rerum in Homeritide seculo sexto gestarum(1), qui primus Arabicos libros adhibuit eosque cum Syriacis ac Graecis fontibus, quibus ante eum viri docti usi fuerant, conciliare conatus est. Attamen linguarum orientalium minus gnarus fuisse videtur, quo factum est, ut versiones male accuratae virum doctissimum saepenumero in errorem induxerint. Parum quoque inter scriptores, quoad dignitatem historicam, discernit, quod hic praecipue necessarium est, ubi tam multi ac diversi scriptores sunt diiudicandi.

Ex recentioribus autem eandem rem pertractavere Basnage in historia Iudaeorum, Iost in historia Israëlitarum (2) et Iohannsen in historia Iemanae (3), praeter alios qui occasione data historiam commemorant et disquisitione omissa alios secuti sunt auctores. Neque vero illi viri accuratius hanc rem indagare potuerunt, quum maiora sibi proposuissent, quod effecit ut Iost Arabicos fontes, Iohannsen Syros ac Grae-

---

(1) In novis commentariis Soc. reg. Gottingensis t. IV. p. 1. ss. ubi p. 5. viros, qui antea huic rei operam navaverunt, invenies.

(2) *Geschichte der Israeliten Th. 5. p. 253. u. p. 354.*

(3) pag. 88.

cos plane negligeret. Quare quum veterum Arabum historia valde me alliciat, denuo hanc iucundissimam eius particulam perquirere conatus sum magnarum difficultatum non ignarus, fretus tamen benevola virorum doctorum indulgentia.

Ad Arabum scriptores comparandos atque diiudicandos praesto mihi erant nonnulli codices manuscripti, quos inspicere mihi licuit insigni Wilkenii et Mölleri virorum illustrissimorum ac doctissimorum benignitate, quibus iustas pro tantis in me beneficiis agere gratias nescio.

Priusquam rem ipsam aggrediamur, scriptores diversos, qui quod in usum nostrum converti liceat tradiderunt, optimum videtur percensere dignitatemque eorum historicam collustrare, quod ut fieri possit, primum ea quae in Syriacis scriptoribus inveniuntur breviter ac summatim perscribamus.

Primum autem locum hic obtinet particula quaedam historiae Ioannis Asiae episcopi, quam Assemanus in bibliotheca orientali(1) ex Chronico Dionysii patriarchae Syriace edidit. Narrat scriptor, bellum fuisse inter duos reges Indorum quorum alter Xenodon (ܐܟܣܘܢܕܘܢ) alter Aidug (ܐܝܕܘܓ) fuerit rex Indiae interioris ethnicus. Pace cum illo composita dimicasse hunc regem contra Dimion (ܕܝܡܝܘܢ) regem Homeritarum, qui etiam Indi nominantur. Esse autem septem Indorum et Aethiopum regna, tria Indorum, quatuor Aethiopum, Aethiopes vero habitare in regionibus meridionalibus ad Oceanum sitis. Causa autem belli fuit, quod rex Dimianos (ܕܝܡܝܢܘܣ) mercatores Romanos, qui per fines Homeritarum in regiones Aethiopum proficisci solebant, despoliatos necaverat. Rex Aethiopiae, quum magnum inde terrae suae detrimen-

(1) Tom. I. p. 359. ss.

tum nasci videret, Homeritarum regi bellum intulit, voto facto, Christi fidem se amplexurum, si victor discederet. Proelio commisso rex Aethiopum Homeritarum regem victum interfecit. Tum ut vota solveret legatos misit ad Iustinianum imperatorem, qui episcopum peterent. Ille vero permisit ut ipsi quem vellent eligerent, et legati cum Ioanne paramonario (ܦܪܡܘܢܪܐ) ecclesiae Ioannis Alexandrinae in patriam reversi sunt. Pergit scriptor narrando, Iudaeos Christiano rege quem Aethiopes ibi constituerant paullo post mortuo ex sua gente regem creasse, qui magno cum furore contra Christianos saevierit, quemadmodum appareat ex historia martyrum S. Simeonis sophistae.

Tum sequitur epistola Simeonis Beth Arsamensis episcopi, qui ecclesiae Christianae Persarum praefuit, ad Simeonem Gabulae abbatem scripta. Profectum se esse scribit die vigesimo mensis Canuni postèrioris anno octingentesimo trigesimo quinto ex ditione (1) (ܚܐܪܬܐ) Namonis ad Monderum (ܡܢܕܪ) regem Tayensium Arabum (ܛܝܝܐ) cum Abrahamo filio Euphrasii (ܐܘܦܪܘܣ). Quum iter decem dierum per desertum versus meridiem et orientem fecissent ad arenarum montes usque, qui lingua Tayensium Ramleh (ܪܡܠܗ) nominantur, et aggressuri essent Monderi castra, Tayenses et Maaddeni (ܡܥܕܝܐ) obviam facti probris eos affecerunt. Invenerunt ibi legatum regis Homeritarum,

(1) Ita vertit Assemanus, sed dubito, an ita verti possit, terrae nomen fuisse suspicor.

qui epistolam Mondero tradiderat, in qua scriptum erat: Quum rex ab Aethiopibus in regione nostra constitutus mortem obiisset et hieme prohibiti Aethiopes novum non potuissent facere regem Christianum, totam regionem occupavi, et Christianos omnes cum ducentis octoginta sacerdotibus et Aethiopibus ad ecclesiae custodiam relictis interfeci. Deinde urbem Nagran (نَجْرَان) incolumitatem iureiurando pollicitus cepi, deinde autem, quum hostibus fidem non observandam esse opinarer, aurum et argentum et possessiones omnes abstuli, Pauli episcopi ossa sepulcro eruta combussi, ecclesiam et sacerdotes et omnes in illam confugientes flammis tradidi, reliquis ut Christi fidem abiurarent coactis. Tum principem omnesque optimates occidi, magnumque numerum virginum sacrarum mulierumque, quae magna aemulatione et furore mortem petierunt, una excepta muliere, Rumi (رُومِيَّة) regis futuri coniuge. Haec femina, quum Christum denegare cogeretur, vias urbis nudo capite cum quinque filiabus quasi ad nuptias ornatis perlustravit, magna oratione socias alloquens, Christianam se esse, multis opibus praeditam, marito pro Christo occiso, alteri marito posse adducere quadraginta millia denariorum et ornamenta aurea et argentea multa. Sed omnibus his rebus se renuntiare et Christo se et virgines devovere. Tum me ipsum adorta nudo capite, crinibus dissolutis clamavit, Christiana ego et filiae meae, abscinde capita nostra, ut ad fratres, sorores, filiarum patrem accedamus. Quum earum me misereretur, venustate mulieris ac filiarum commotus, ut Christum

denegarent eas hortatus sum, seu ut hominem eum esse dicerent. In fine epistolae Monderum regem cohortatur, ut in sua etiam regione Christianos persequeretur. Iam Beth Arsamensis in epistola ad Gabulae Abbatem pergit narratque, Monderum regem exercitu convocato, litteras illas recitasse et exemplum illius regis se secuturum esse confessum. Tum reversi in terram Namonis primo ieiunii sabbato reppererunt legatum, quem rex Homeritarum, antequam mortuus erat, eo miserat. Qui, quum illos occisos esse audiret, hominem quendam Nagranam misit, qui, quae accidissent, cognosceret. Nuntius ab itinere redux iis quae supra scripsimus confirmatis adiecit, trecentos quadraginta optimates, qui ex urbe ad regem illum exiissent, occisos esse cum Aretha (ارثد) filio Colob (كلب) principe eorum, marito Rhumiae (رحمة). Tum sequitur magna eius oratio, qua vehementer regis perfidiam ac fraudem perstrinxit. Addit se iam senem esse et filios nepotesque habere, mortem igitur optatam sibi esse, nec Christi fidem, ut vitam servaret, se deserturum esse. Denique quum socios hortatus esset, ut laeto animo mortem pro Christo susciperent, ad vallem, quae nominatur Vadi, abductus, cum sociis necatur. Sequitur narratio pueri, qui matrem ipse ad mortem subeundam hortatur. In fine epistolae Beth Arsamensis monet, se haec scripsisse, ut episcopi et fideles cognoscant, quae in Homeritide acciderint rogatque, ut Alexandrinus patriarcha haec nuntiet regi Aethiopum, qui Homeritis auxilium ferat et ut summi Iudaeorum sacerdotes cogantur regem a caedibus et

persecutione abstinere. Hac epistola finita Ioannes Asiae episcopus filioli illius quem supra memoravimus, narrationem confirmat multaque alia de eo adiicit, ipse eum in aula Iustiniani imperatoris se vidisse testatus. Deinde narrat, eundem regem, qui interfecto primo Homeritarum rege Christianus factus fuerit, exercitum misisse regeque illo cum omnibus Iudaeis interfecto novum regem Christianum Abrahamum constituisse. Eum ex Alexandria episcopum accepisse, qui paullo post mortuus sit. Quum rex Homeritarum audiisset synodi Chalcedonensis decreta Alexandriae introducta et Theodosium eiectum esse, synodum Chalcedonensem agnoscere noluit neque episcopum ex Alexandria accepit. Deinde quum per viginti quinque annos episcopum, qui synodo illi dissentiret, ab imperatore Iustiniano petiissent nec impetrassent, ipsi e suis episcopum elegerunt et evangelii libro capiti eius imposito eum confirmaverunt, unde magna dissidia in ecclesia exorta sunt.

Quod ad Graecos autem adtinet primum hic nominanda sunt acta martyrii S. Arethae et sociorum a Simeone metaphraste conscripta(1). Hic quidem narrat, anno quinto Iustini imperatoris regem fuisse Aethiopibus Elesbaan Christianum pium ac iustum, in Arabia felici autem Dunaan Hebraeum virum impium Christianis inimicissimum. Dunaan vero, multis

(1) Aloysius Lipomannus vita sanctorum Tom. VI. — Laurentius Surius vita sanctorum Tom. V. — Caesar Baronius annal. eccles. ann. 522. §. 23. et ann. 523. §. 16. Tom. IX. p. 309 et 327. ed. Mansii.

iam proeliis ab Aethiopum rege victus tamen Christianos persequi non desiit, urbemque Nagran, quae iam ex Constantii tempore fidem nacta erat, obsedit. Quam quum dolo cepisset Pauli episcopi ossa effodi comburique iussit, et rogo accenso sacerdotes, monachos, virgines consecratas magnamque multitudinem eorum, qui Christum negare nolebant, necavit. Erat etiam femina, quae duas habebat filias, pulcritudine et divitiis praestans, iuvenili aetate vidua, quam rex blandis verbis admonebat, ut Christum abiuraret. Quod quum recusaret etiam morti tradita est. Sequenti autem die Aretham principem cum trecentis quadraginta sociis advocavit, et ad torrentem qui vocatur Odias (1) duci, capitaque amputari iussit. Puer autem quinque annos natus, quum matrem flammis iniectam videret, eam secutus etiam mortem obiit. Tum vero rex Dunaan ad regem Persarum et Alamundarum ducem Saracenorum legatos misit, qui eos ut similia facerent hortarentur. A Iustino vero ad Alamundarum missus est Abrahamus presbyter. Aderant autem illic a rege Persarum quum alii quidam tum Isacius presbyter, qui praeerat Christianis orthodoxis in Perside. Aderat etiam Silas Nestorianorum episcopus, partim pro Hebraeo fungens legatione, partim ut contra orthodoxos disputaret. Quum litterae Homeritarum legerentur et Silas iis assentiret et Christum hominem non deum esse diceret, illi viri haereticum eum vocant, Nestorium damnantes, Christum autem deum et homi-

(1) Idem est, quod supra habuimus Vadi وادى (vallis).

nem perfectum esse confitentur. Tum legati foedere cum Alamundaro facto in patriam reversi, Iustino imperatori quae facta erant nuntiant. Ille autem sine mora ad Asterium (1) Alexandriae episcopum scripsit, ut regem Aethiopum ad bellum cum Homeritis gerendum incitaret. Aethiopum rex vero hieme impeditus, bellum hoc anno gerere non potuit, vere autem sequenti magnum exercitum collegit, cuius altera pars terra Homeritas aggressa est, ipse autem cum altera parte navibus mare traiecit. Illi autem itinerum difficultatibus fere omnes periere. Quod quum audivisset Dunaan Homeritarum rex, in sola maris versabatur custodia fretumque inter Homeritas et Aethiopes angustissimum catena ferrea navibus occludere constituit. Illa autem procellis destructa navibus aditum praebuit, ita ut primum decem tum reliquae etiam naves appellerent. Proelio commisso Homeritae profligati sunt a parte quadam exercitus Aethiopum, eorumque urbs capitalis Phare cum regina multisque divitiis capta. Dunaanus autem, qui alio loco contra alteram partem navium pugnaverat, aurea catena vinctus invenitur et ad Elesbaanum Aethiopum regem missus interficitur. Tum vero Elesbaan ab Alexandriae patriarcha episcopum arcessivit omnibusque in civitatibus et pagis Homeritarum baptizatis ad urbem Negran sese contulit,

---

(1) In sincerioribus Arethae actis legitur Theophili nomen qui tunc temporis ibi episcopus erat, Asterii nomen inter Alexandrinos episcopos nusquam laudatum reperimus, cf. Lequien oriens Christ. Tom. II. p. 429.

ubi Arethae filium ducem gentis constituit. Deinde Homeritis Abrahamum praefecit atque decem millibus Aethiopum relictis in patriam rediit, et corona Hierosolyma missa monachus factus est.

Breviter hic retulimus quae copiosissime in actis Arethae a Metaphraste conscriptis narrantur. Puriora et sinceriora Arethae acta exstare Michael Lequien (1) adnotavit, quorum initium nobiscum communicavit. Ex his actis desumpta esse videntur, quae in monologio Basilii ab Annibale Albano Graece edito Tom. I, p. 139. narrantur et menologium, quod in bibliotheca Vindobonensi asservari Petrus Lambecius (2) testatur, ex quo particulam descripsit. Ex his etiam martyrologium Romanum ea, quae de his rebus scripsit, desumpsit. Walchius etiam duo martyrologia Aethiopica typis exarata exstare confirmat, quae tamen invenire mihi non contigit. In duobus autem Armenorum menaeis ab Assemano editis in bibliotheca orient. praeter martyrum numerum nihil invenitur.

Inter Byzantinos historiarum scriptores primum locum tenet Procopius, qui in libris de bello Persico scriptis etiam harum rerum facit mentionem. Libro primo cap. 17. narrat Alamundarum fuisse Saracenorum ducem, qui Cabadem Persarum regem ad bellum contra Romanos incitavisset et per quinquaginta annos Romanorum imperium magno detrimento affecisset. Idcirco Iustinianus Aretham Gabalae filium

(1) Oriens christianus Tom. II. p. 429 et 663.
(2) De bibliotheca Caesar. lib. V. p. 132.

Saracenorum principem quam plurimis tribubus praefecerat, ac regia dignitate auxerat, qui tamen Alamundaro resistere non potuit. Cap. 19 dicit, Iustinianum voluisse societatem inire cum Aethiopibus et Homeritis, cap. 20 legationem describit. Fuit hoc tempore, ait, Ellestheaeus (Ελλησθεαῖος) Aethiopiae rex Christianus, qui, quum audisset regem Homeritarum Iudaeum Christianis tributa supra modum imponere, bellum ei intulit et proelio commisso regem cum magno Homeritarum numero occidit. Homeritis tum praefecit Esimiphaeum (Εσιμιφαῖον) Christianum Homeritam ea conditione, ut tributum annuum Aethiopibus penderet. Ille rex autem, seditione facta, castello inclusus est, regnumque ad Abramum Christianum Romani cuiusdam mercatoris servum delatum. Exercitus ab Aethiopibus missus ad Abramum profugit, alter exercitus magna clade profligatus est. Ellesthaeo autem defuncto Abramus cum successore eius foedus iniit, itaque regnum sibi servavit. Haec vero seriori tempore facta esse, Procopius adnotat. Esimiphaeo autem rege Iustinianus Iulianum legatum misit ad foedus pangendum. Ab Aethiopibus vero petiit, ut vestes sericas ab Indis emerent et Romanis venum darent, ne Persis inde lucrum esset, ab Homeritis autem, ut Caisum patria profugum Maaddenis phylarchum praeficerent et magno cum exercitu in Persas irruerent. Hi vero legatum quidem bene exceperunt, sed magni Persarum regis potentiam metuentes imperata facere non ausi sunt.

Eandem fortasse legationem commemorat Nonnosus in historia sua, ex qua Photius in bibliotheca excerpta nobis reliquit. Loquitur vero de quinque Romanorum legationibus ad Aethiopes, Homeritas Saracenosque. Primum quidem ab Anastasio imperatore missum esse Nonnosi avum, tum patrem Abramam (Ἀβραμης) ad Alamundarum Iustino imperatore, qui Timostratum et Ioannem Romanorum duces ab illo captos redimeret, deinde eundem Abramam missum a Iustiniano ad Caisum foedus cum eo fecisse eiusque filium pro obside secum duxisse. Quarta legatione ipsum Nonnosum functum esse, ut Caisum ad imperatorem duceret et Elesbaanum regem Auxumitarum Homeritasque adiret. Denique vero Abramam missum esse ad Caisum, ut iuberet eum, phylarchia Ambro et Iezido fratribus tradita, Palaestinam administrandam suscipere.

Iam vero sequitur Ioannes Malalas scriptor quem Walchius ac reliqui viri docti nimis neglexerunt, quamvis praeclaram lucem rei afferre videatur. De aetate eius quidem valde dissentiunt, quum alteri Iustiniano aequalem nec multo seriorem eum dicant, alteri seculo nono eum vixisse iudicent. Attamen posterior opinio, cuius auctor et propugnator Hodius est, argumentis tam levibus ac pravis niti videtur, ut non dubitem priori, quae multo gravioribus fulcitur, consentire. In Malalae (1) chronographia autem li-

(1) Ed. Bonn. p. 433. Oxf. 163. De Malal. aetate cf. Dindorfii praefationem in ed. Bonn., nec non Hodii praelegomena.

bro XVIII locus invenitur, qui cum tota Ioannis Asiae relatione de Damiano rege supra exposita verbotenus fere congruit, paucis tantummodo additis vel commutatis. Loco nominis Euselis, quod in Syro invenimus, legitur Auxumis, Homeritarum regem Dimnum vocat, Aethiopum Andam (1). Duobus legatis ab Aethiopum rege ad Iustinianum missis ducentos comites addit, eosque Alexandriam profectos esse testatur, unde Licinius Augustalis ad Iustinianum hac de re retulerit. Paramonarium illum nominat Ioannem annos circiter sexaginta duos natum. Deinde autem historia illa absoluta plura de Alamundaro eiusque rebus contra Romanos gestis tradidit, legationem (2) etiam Iustiniani ad Homeritas et Aethiopes fusius exponit, postquam narravit, regem Homeritarum proelio commisso ab Auxumitarum rege esse victum, novumque regem Anganem ab eo ibi esse constitutum.

Theophanes noni seculi scriptor, qui in chronographia his de rebus etiam quaedam nobiscum communicavit, anno Iustiniani decimo sexto eandem iisdemque fere verbis repetitam historiam refert, cuius initium tamen ut Combefis (3) recte iam coniecit, corruptum est. Legationem etiam simili ratione describit anno septimo Iustini II. ubi dicit, bellum Persicum renovatum esse, quod Homeritae Indi legatio-

---

(1) Paullo ante p. 429. Oxf. 157. regem Indorum etiam Andam nominat.

(2) Ed. Bonn. p. 457. Oxf. 194.

(3) Fr. Combefis in notis posterioribus ad Theoph. ed. Ven. p. 94.

nem ad Romanos misissent, et imperator Iulianum magisterianum cum sacris ad Aretham regem Aethiopum legavisset. Anno quinto Iustini I brevibus verbis narraverat, Homeritas persecutos esse Aretham incolasque urbis Negra, postea tamen ab Elesbaano Aethiopum rege eos victos esse.

Georgius Cedrenus (1) Theophanem exscripsisse videtur, quum ad idem tempus eadem referat. Regem Aethiopum aeque ac Theophanes Adad, Homeritarum Damianum vocat, brevius tamen omnia reddidit. Ioannes Zonaras (2) breviter rem tangit. Nicephorus Callistus (3) etiam duobus in locis hac de re loquitur, et primum quod tradidit ex Simeone Metaphraste, secundum vero locum ex Malala vel Theophane composuisse videtur. Regem Homeritarum Damnum nominat, Aethiopum David. Simili ratione etiam scriptor historiae miscellae (4) ex Graecis desumpsit, quae hac de re exponit.

Haec sunt, quae ex Syris Graecisque fontibus hauriri possunt. Iam vero si Syrorum narrationes consideramus bene distinguenda sunt quae Ioannes Asiae episcopus tradidit, ab illa Simeonis epistola. Primam illam Ioannis historiam si accuratius inspicimus, Graecum fontem eam redolere apertum est. Nomina enim quae ibi inveniuntur Xenodon, Dimia-

---

(1) Historiarum compendium Tom. I. p. 364 et 374 ed. Goari.
(2) Annal. Lib. 14, c. 5. p. 59 ed. Dufresne.
(3) Eccles. hist. Lib. XVII, c. 6 et 32.
(4) Lib. XVI. p. 116 ed. Murator. Tom. I.

nos Graeca sunt, littera *x* in semiticis linguis inaudita Syriace non potuit reddi nisi vocali proposita (اَكْسُومَيْ) Achsonodon, Provincia quae Euselis ab eo vocatur eadem est quae a Graecis Auxumis nominatur, vox صَبْرُونَا (1) dignitatem Paramonarii indicat. Tota denique dicendi ratio Graeca est, neque dubitari potest si universum narrationis tenorem paullo diligentius spectamus, eam esse Graecam versionem. Quae si conferimus cum illa Malalae narratione, satis apertum est, eum esse illum fontem, ex quo Syrus sua hauserit, id quod mihi tam evidens videtur, ut equidem, si quis Malalam seriorem (2) esse velit, primum fontem Graecum tamen ab illo accuratissime reddi contendam. Malalas autem non Syri solum erat fons, sed Theophanis etiam, ex quo reliqui omnia deprompsisse videntur. Probant id additamenta quaedam, quae in Malala reperiuntur, et modo in Syro modo in Theophane desiderantur.

Quae sequuntur in Syrorum narratione, Iudaeos mortuo rege Christiano, quem Aethiopum rex ibi constituisset, ex sua gente regem creasse, qui Christianos crudeliter persecutus esset, Ioannes ex epistola sequenti addidisse videtur, quum in priori historia nihil de rege illo narratum sit, ut historiam illam

---

(1) Hoc mirifice Io. Dav. Michaelem latuit, qui in lexico suo Syriaco frustra a Syriaca radice vocem derivare conatur.

(2) Assemanus Ioannem Asiae anno 578 mortuum esse testatur bibl. orient. Vol. II. p. 90.

Graecam cum epistola Simeonis connecteret ex opinione sua falsa tamen ut infra videbimus.

Nunc autem ad epistolam venimus, quae ex martyrologio multorum martyrum desumpta esse dicitur Simeonis ܕܪܘܫܐ, quod Assemanus sophista vertit quodque idem est ac inquisitor dialecticus. Scriptorem eundem esse cum Simeone Beth Arsamensi Assemanus confirmat. In hac vero epistola quid verum quid falsum sit difficillimum est intellectu. Epistola regis Homeritarum Assemano ipsi, Walchio reliquisque viris doctis iam ficta vel certe corrupta videbatur. At vereor, ne tota Simeonis epistola subdita sit, multa sane in ea fucata atque inventa videntur, singulae partes inter se non cohaerent, plura sibi repugnant. Unum tantum proferam. Uno loco Rumi illa describitur regis designati vidua, florenti aetate mater puellarum parvarum, altero loco coniux eius Arethas fuisse dicitur, princeps civitatis, vir et magna senectute venerabilis et multis liberis nepotibusque praeditus (1). Huc accedit, easdem res in actis martyrum a Simeone Metaphraste conscriptis legi, qui vix ex illo Syriaco fonte hausit praesertim quum multa adiiciat, quae non in illis leguntur, ut totam Elesbaani expeditionem. Melius fortasse hac de re possit iudicari, si acta Arethae Graece scripta et Dionysii chronicon in lucem proferantur. Mirum videtur quod nomen Homeritarum regis in Syriacis fontibus omissum sit, quod in Arethae actis additur. At Arethae acta etiam magna fide non

(1) Rumi altero loco scribitur ܪܘܡܝ altero ܪܗܘܡܝ.

digna videntur, quum multa absurda et inepta in iis ex martyrologiorum more cumulentur. Ex Theophanis verbis autem, qui martyrium Arethae commemorat, coniici potest, tum temporis martyrologium Arethae iam exstitisse, quod inde quoque apparet, quod martyrologium Aethiopicum (1) inventum est, Arethae actis simillimum. Quae cum ita sint, valde cavendum est, ne singularibus rebus nimis tribuatur.

Iam vero Procopius restat, cuius historiae in universum maxima fides habenda est, quamvis in singularibus quibusdam rebus etiam erraverit, neque aliud de Nonnoso dicendum videtur. Ita ex tota multorum scriptorum serie pauca tantum remanent, quae in nostrum finem convertere licet, nunc autem ad Arabes progrediamur.

Primum hic commemorandus est locus Corani, (2) ubi legitur occisos esse socios foveae (اصحاب الاخدود). Hunc quidem locum omnes fere Arabum commentatores explicant de Christianis in urbe Nagran ab Hamiaritarum rege occisis, ut in Maraccii editione Iahias ex Mohammede ebn Ishak, Hassan, Modjahed. Idem inveni in commentario Beidavii in regia nostra bibliotheca asservato, qui alia etiam adiecit iis similia quae ex alio codice manu scripto postea afferam. Hic autem Corani locus effecisse videtur, ut omnes fere horum temporum scriptores Arabici diligentius quam fieri solet harum rerum mentionem faciant, ita tamen,

(1) Ludolphi comment. ad hist. Aethiop. p. 232.

(2) Sur. 85. p. 791. ed. Marac.

ut alter alterum exscripsisse videatur. Duae autem partes distingui possunt, quae duos diversos fontes sequuntur.

Ex una parte stat Ebn Coteiba(1), cuius historiae manuscriptum in bibliotheca Gothana exstat, ubi id inspicere benignitate viri doctissimi Möller mihi licuit, ex quo quae ad rem nostram faciunt breviter sum expositurus. Rex Dhu Schanatir post imperium viginti septem annorum occisus est a Dhu Nowaso Iudaeo, qui quum Christianam religionem in urbe Nagran magnopere propagatam audiisset, foveas ibi fodit, multosque Christianos combussit, inter quos femina cum filio septem menses nato, qui matrem ad mortem subeundam incitabat. Tum vero vir quidam nomine Dhu Thaalaban ex clade aufugit ad regem Habessinorum, qui de Christianorum persecutione certior factus ad Graecorum imperatorem hac de re scripsit. Iussus Dhu Thaalabanum regni vicarium relinquere, ipse cum septuaginta millibus Dhu Nowasum aggressus est, qui proelio victus in mare se proiecit. Surrexit in eius locum Dhu Hadhan (ذو حذن) qui victus eundem vitae finem cepit. Primus autem Iemanae rex ex Habessinis fuit Abrahah el Aschram (ابرهة الاشرم) qui in nota elephanti expeditione, quae etiam in Corano commemoratur, diem supremum obiit. Post eum regnavit filius Iacsum, quem frater Mesruk excepit, ultimus Habessinorum

(1) P. 362. man. No. 316. cf. Möller catal. libr. manuscr. p. 97.

in Iemana rex. Superavit enim eum Seiph filius Dhi Iazan (سيف بن ذى يزن) Persarum ope.

Ex Ebn Coteiba alter Arabum scriptor Hamza(1) ebn el Hassan Isfahanensis, qui seculo decimo floruit, ea quae ad nostram rem pertinent cepisse videtur, quum ad verbum plerumque cum eo congruat. Regem autem, qui Dhu Nowasum(2) secutus est, Dhu Djadan nominat, punctis diacriticis mutatis (ذو جدن). Addit deinde imperium fuisse penes Dhu Iazan et Dhu Djadan circiter sexaginta annos, quod hoc loco Ebn Coteiba omisit. Post eos autem regnasse ex Habessinis tres reges Abrahah eiusque filios Iacsum et Mesruk, ex Persis octo Wehraz, Flisidjan, Horzad Ieschhar, Anusidjan, Merzaban, Horhesru,(3) Badsan, Daduia, inter Habessinos et Persas autem Seiphum filium Dhi Iazan Hamiaritam, qui, quum ope Persarum Habessinos expulisset, ipse a satellitibus Habessinis interfectus est. Ante Abrahamum autem alium Habessinorum regem fuisse Hamza non memorat, atque Walchius(4) in dissertatione sua hic in errorem inductus

---

(1) Schultensii historia Ioctanidarum p. 36.

(2) Dhu Nowasum ultimum fuisse Hamiaritarum, quod nonnulli volunt, Hamza non dicit. Schultens male hunc locum p. 39 vertit et Iohannsen virum doctissimum id fugisse miror. Verba enim Arabica quae ibi leguntur (وكان اخر العهد به) non significant extremum fuisse Iemanensium imperatorem sed hoc tantum, nihil ex hoc tempore de eo auditum fuisse. Vid. Abulfed. annal. T. III. p. 524, 616.

(3) Nomen huius regis Schultens in textu Arabico omisit.

(4) P. 30.

est Schultensii versione, qui ex ceteris fontibus hoc supplendum arbitrabatur. Quod ad tempus adtinet, Hamza ipse confitetur maxime dissentire inter se historiarum scriptores, ex libro tamen de expugnationibus conscripto adnotat, Iemanam ab Habessinis expugnatam esse tempore Cabadi filii Firuzi, regnumque eorum durasse duos et septuaginta annos, Arnathum enim viginti annos, Abraham viginti tres, Iacsum septemdecim, Mesruk duodecim annos regnasse. Hoc quidem loco regem Arnathum profert ex alio libro, quamvis antea nihil de eo dixerit, tres tantum eorum reges fuisse testans.

Sequitur Abulfeda(1), seculi decimi quarti scriptor, qui Hamzae historia se usum esse confitetur, ita tamen, ut alios quoque scriptores citet, unde factum est, ut etiam nuntios ex altera classe, quam statim expositurus sum, historiae suae adnectat. Dhu Djadanum ultimum Hamiaritarum regem fuisse confirmat, quem regno secutus sit Arnath. Breviter totam historiam narrat, praeter nomina regum pauca tantum interserens.

Iam ad alteram partem Arabicorum scriptorum perveniamus, quorum primum nominandum est Chronicon Abu Djafari Muhammedis ben Iezidi Taberitae,(2) qui initio decimi seculi vixit et inter optimos Arabum scriptores numeratur. Regem illum a Dhu Nowaso occisum nominat Lachnia Tenuf Dhu Scha-

(1) Hist. Ioct. p. 10.
(2) Hist. Ioct. p. 104.

nathir, Dhu Nowasi nomen autem fuisse Zeraa, qui postea Iudaeus factus Iosephi nomen assumpserit. Hic urbem Nagran exercitu adortus Christianos ad religionem Iudaeam incitavit, eosque qui recusarent igne cremari iussit, quo factum est, ut viginti millia inter eos Abdallah ben Elthamir princeps eorum seu sacerdos necarentur. Daus Dhu Thaalaban autem ad Romanorum imperatorem fugit, eiusque auxilium imploravit, qui viarum longinquitatem praetendens ad Habessinorum regem Christianum cum litteris eum misit. Rex autem Habessinorum his de rebus certior factus Ariathum (1) cum triginta millibus armatorum in Iemanam misit, inter quos etiam Abrahah el Aschram fuisse dicitur. Dhu Nowasus in mare se proiecit, et Ariath Habessinus terram in potestatem sibi redegit. Postquam autem per aliquot annos imperium tenuit, vita eum privavit Abrahah ille. Quod quum audiisset rex Habessinorum, valde iratus perdere eum constituit, attamen arte doloque Abrahae mitigatus est. Idem ab Abu Morra filio Dhi Iazan uxorem Rihanam, quae illi filium Maadi Carbum peperat, eripuit, et ex ea filium Mesruk suscepit, Abu Morra autem fuga salutem petiit. Deinde Abrahah ecclesiam Christianam in urbe Sanaa exstruxit, et ut Arabes ad Christianam religionem adigeret, Caabam, Meccanum templum, diruere constituit, quo in bello, quod ele-

(1) ارياط Hamza et Abulfeda nomen scribunt ارناط sive ارباط punctis diacriticis commutatis cf. de Sacy in nota ad Abulfedam in Pocockii specim. hist. Arab. ed. Ios. White.

phanti nomine insignitur, mortem subiit, quam ob rem elephanti dominus nominatur. Patrem secutus est Iacsum, quem Mesruk frater excepit, viri vexationibus Hamiaritarum animos magnopere exacerbantes, quo factum est, ut Habessini ex regno expellerentur, postquam septuaginta tres annos ibi regnaverunt. Seiphus enim filius Dhi Iazan Hamiarita, cognominatus Abu Morra, ad Romanorum imperatorem sese contulit auxilium petiturus. At quum nihil ab eo impetraret, ad Nomanum filium Mondhari, Cosrois in provincia Hirensi praefectum, contendit, qui eum ad Cosroem misit, unde cum exercitu duce Wehrazo in patriam rediit, et Mesrukum imperio vitaque privavit. Ubi vero rerum potitus est, magna crudelitate Habessinos persecutus non multo post ipse a satellitibus, quos ex Habessinis sibi elegerat, trucidatus est. Tum Cosroes Wehrazum praefectum in Iemanam misit, quem filius Merzaban in imperio secutus est. Post eum filium Merzabani regno praefecit, quem mox ab imperio removit, et in eius locum Badhanum nominavit.

Nunc ad alium Arabum scriptorem nos convertamus qui pari honore apud Arabes fruitur eodemque fere tempore vixit, ad Mesudium(1), qui in libro prata auri inscripto etiam de nostris rebus aliqua perhibet, ita tamen, ut alio libri sui loco plura hac de re se narrasse dicat, quem quidem locum, quum totum opus inspicere mihi non licuerit, ignoro. Sed ex illa

(1) Hist. Ioct. p. 140.

particula, quae in Schultensii libro legitur, pauca afferam. Iosephus Dhu Nowasus Zeraae filius, Tobbai minoris nepos, Christianos, ubicunque potuit, igne occidit. Eum belli adorti sunt Habessini ex regionibus litoralibus Nasa et Zeila in Iemanensem provinciam Galafuka per mare transgressi duce Ariatho abu Sachm, qui, postquam Dhu Nowasus in mare se projecit, per viginti annos imperio functus est. Deinde autem ab Abraha el Aschram interficitur tempore Cabadi. Mortuus autem est Abrahah in expeditione illa elephanti anno quadragesimo regni Anuschirwani, anno Alexandri magni 882, postquam ipse quadraginta tres annos imperavit. Post eum regnavit filius Iacsum, cuius mater erat ex gente Dhi Iazan. Seiphus filius Dhi Iazan ad Romanorum imperatorem se contulit, opem eius imploraturus, unde, postqnam ibi septem annos consumpsit, re infecta ad Cosroem Anuscherwanum profectus est, qui auxilium ei promisit. Ipse tamen antea morte oppressus est. Filius autem Maadi Carb cum exercitu duce Wehrazo in Iemanam rediit, regemque Mesruk, postquam tres annos usque ad quadragesimum quintum regni Anuschirvani regnavit, commisso proelio superavit, regnoque potitus est. Quatuor vero annis post ab Habessinis interfectus est. Tum Persarum praefecti rebus praefuerunt Wehraz, Sadjan, Huraz, Nusadjan filius Merzabani, Horschhir, Badhan.

Nuweirius (1), qui seculo decimo quarto vitam

(1) Hist. Ioctan. p. 80.

degit ex Masudio et Taberita vel similibus fontibus hausisse videtur. Regem illum Hamiaritarum Zeraam ben Caab fuisse tradit, cognomine Dhu Nowasi, profugam illum nominat Dausum filium Dhi Thaalaban, atque Ariathum patruelem (1) regis Habessinorum fuisse confirmat. Causam vero certaminis inter Ariathum et Abrahamum fuisse indicat, quod ille praedam dispertitus esset inter nobiles, exclusis qui humiliori essent conditione. Habessinos septuaginta duos annos regnasse ultimumque eorum Masrukum a Seifo victum esse narrat, tum praefectos Persarum regnasse, quorum nomina tamen omittit.

Praeter haec Arabum scripta, quorum particulae ab Schultensio in historia Ioctanidarum editae sunt, equidem librum manuscriptum cuius tomus primus in regia nostra bibliotheca asservatur contuli. Est autem opus Amadeddini Abulfedae Ismael filii Kethir bedaiah wanehaiah (بداية ونهاية) initium ac finis inscriptum male exaratum. Auctor autem idem videtur, quem Herbelotius nominat Ismael ben Omar al demeschki ibn Kethir cognomine Amadeddin, annoque 744 fugae mortuum esse testatur. Opus autem magno pretio esse videtur, quum ubique scriptores quos exscripserit, laudentur. Saepissime autem ab eo Ibn Ishak citatur, qui idem cum illo esse videtur, quem Abulfeda (2) anno fugae 150 obiisse tradit, ex quo Abu Mohammed Abdolmelik ben Hescham vitam

(1) Non fratris filius erat, ut Schultensius vertit ابن عمّه.

(2) Annales Moslemic. ed. Reiske Tom. II. p. 27 et 151.

Mohammedis prophetae composuit (1). Eodem libro Taberita sine dubio usus est, quum omnia in nostro manuscripto ex Ishaco citata ad verbum cum illo consentiant. Narrationes aliquas ex hoc manuscripto desumptas in calcem dissertationis adieci, quae quamvis fabulis repletae videantur tamen contemplatione non omnino indignae mihi visae sunt. — Hamiaritarum regem nominat Zeraa Dhu Nowas filium Taiian Assad fratrem Hassani. Negranenses a Fimione monacho quodam Syriaco Christianam fidem accepisse narrat, eiusque discipulum fuisse illum Abdallam ben Elthamir. Cetera omnia cum historia Taberitae consentiunt, elephanti expeditionem autem anno 886 Alexandri magni fuisse dicit. Persarum praefectos enumerat Wehrazum, tum filium eius Eltaitadjan, tum filium eius qui postea a Cosroe revocatus est, denique Badhanum.

Praeter haec commemoranda sunt quae Pococke (2) ex Abulfeda, Aldjannabio et Achmede ebn Iuseph nobiscum communicavit, tum supplementum chronici orientalis ab Abrahamo Ecchellensi editum et Herbelotii bibliotheca orientalis, quae nobis tamen minore pretio sunt, nec novi quid afferunt.

Sunt igitur duae partes Arabicorum scriptorum distinguendae, quae variis in rebus inter se discrepant. Altera pars post Dhu Nowasum regem ex Homerita-

(1) De Sacy Memoires de l'académie des inscriptions Tom. 48. p. 489. dicit, Heschami opus in bibliotheca Parisiensi exstare inscriptum Sirat alrasul, et sub finem excerpta dedit, ex quibus video, nostri manuscripti auctorem illo Heschami libro usum fuisse.

(2) Specimen historiae veterum Arabum ed. White p. 63.

rum gente ortum addit, omittit tamen primum Habessinorum regem Ariathum, qui ab omnibus alterius partis scriptoribus nominatur. Secundum illos profuga ille ad regem Habessinorum profectus est, qui a Romanorum imperatore belli gerendi licentiam petiit, ex horum sententia ad imperatorem ipse se contulit, a quo ad Habessinos cum litteris missus est.

Iam vero si omnes quos protuli fontes comprehendimus, ex magno eorum numero pauci tantum remanent, qui maiori auctoritate digni videntur, ex Graecis ea quae Ioannes Malalas nobis tradidit et Procopius, deinde ex Syris epistola illa Simeonis Beth Arsamensis, iis remotis, quae in ea adulterina et subdita videntur, denique duae Arabum partes. Martyrologia vero ceteraque scripta ex illis nata minoris facienda sunt atque ad comparandum et supplendum tantummodo usui esse possunt.

Fontibus ita prolatis ac diiudicatis iam ad rem ipsam progrediamur, et historiam, quantum ex his fieri potest, integram componamus. Satis notum est ex Rufino aliisque scriptoribus ecclesiasticis, qui eum secuti sunt, Constantini magni tempore per Frumentium et Aedesium Christianam religionem in Aethiopum terras introductam esse, quantos tamen fecerit progressus ignoramus, quum omnes quantum scio scriptores hac de re taceant, neque in actis conciliorum Aethiopum episcopi commemorentur. Postea Constantii tempore Theophilus Arianus eo venit, ut Christianam fidem propagaret, non magno tamen ut videtur successu. Postea vero persecutiones mono-

physitarum ansam praebere potuerunt, ut illi in Aethiopum regiones fugientes Christianae fidei vestigia denuo renovarent, quod ex hac re confirmari videtur, quod Aethiopes semper usque ad hunc diem monophysitarum dogmata secuti sunt. Quod si consideramus viris doctissimis non possum consentire, qui propterea Ioannis Malalae aliorumque narrationem tanquam falsam prorsus reiiciunt, quod Aethiopes antea iam Christiana fide usi fuerint. Scimus enim, quantae difficultates Christianae religioni apud barbaros populos obstiterint omnibus temporibus, nec putandum est, maiore cum celeritate apud Aethiopes eam esse propagatam. Maiorem etiam crediderim fuisse Romanorum et Aegyptiorum cum Aethiopibus connexum, si religio Christiana ibi magnos progressus fecisset, semperque ibi inde a Constantini temporibus integra mansisset. Terrarum illarum historia notior esset, atque Graecorum scriptores plura sane nobis tradidissent. Sed inde ex Anastasii tempore commercia demum cum illis populis redintegrata esse videntur, ut legationes a Nonnoso relatae demonstrant, quum antea nihil harum rerum narretur. At Iustiniani tempore Christianam religionem denuo in Aethiopiam introductam esse belli quod inter Hamiaritas et Aethiopes intercedebat occasione, merito dubitandum est, quum reliqui fontes omnes, Arabicis non exceptis, Aethiopum regem Christianum fuisse confirment, neque ignoramus, scriptores semper fere externis rationibus Christianae fidei introductionem explicare esse solitos. Quibus ex causis magna sane in illam historiam suspi-

cio cadere videtur, sed omnia haec argumenta nondum probant, totam illam historiam quasi falsam esse reiiciendam.

At priusquam hac de controversia decernamus alia existit quaestio, quae antea solvenda est, num duae Aethiopum contra Hamiaritas expeditiones accipiendae sint. Omnes viri docti in eo consentiunt duas fuisse, alii tertiam etiam adiiciunt ex Procopio. Putabant enim nonnulli, ut Baronius, Pagius (1), Assemanus (2), Kocherus (3), Ellestheaeum illum filium et successorem fuisse Elesbaani, itaque totam rem connectunt. Abrahamum regem qui ab Elesbaano constitutus esset, ab Homeritis esse remotum, aliumque, cuius nomen ignoretur, in eius locum esse substitutum. Hunc ab Ellestheaeo Elesbaani successore proelio necatum et eius loco Esimiphaeum virum Christianum esse nominatum, quo etiam in castellum incluso Abrahamum Christianum regem Homeritarum esse dictum. Sed in hoc errasse viros illos doctos satis manifestum est, atque a Rittero (4) et Walchio (5) gravissimis argumentis refutati sunt. Ellestheaeum et Elesbaanum diversa eiusdem viri nomina esse certum est, neque Esimiphaeus alius esse potest ac Arethas sive Ariathus Arabum, sed postea ad hanc rem redi-

(1) Annales eccles. a. 523. §. 30.

(2) Bibl. orient. Tom. I. p. 382. Tom. III. P. II. p. 602.

(3) Kocher de fastis Habess. in excerptis totius Italicae nec non Helveticae literaturae pro anno MDCCLX. Tom. II. p. 259.

(4) Operis Guthriani Germanice conversi Tom. V. Vol. 2. p. 283.

(5) p. 51.

bimus. Duas autem fuisse expeditiones etiam Walchius concedit, sed, ut equidem credo, non certis rationibus commotus. Dimionem quidem eundem cum Dunaano et Dhu Nowaso esse contra aliorum sententias confirmat ex ea causa, quod ab omnibus aliis scriptoribus nullus huius nominis rex nominetur. Dhu Nowasum primum esse ab Elesbaano victum aliumque regem Christianum constitutum, tum rege illo brevi post mortuo, Dhu Nowasum denuo surrexisse, Christianosque crudeliter persecutum esse, tum iterum victum atque occisum esse. Primi belli causam fuisse caedem mercatorum Romanorum, secundi Christianorum persecutionem. Non obstare, quod Arabes silentio haec praetereant, quum non repugnent. At his argumentis non mihi persuaderi libenter confiteor. Nam sine dubio haec duo bella tam similia similibusque causis exorta offendere debent, neque Arabes tantummodo silent, sed Procopius etiam, et ut videbimus omnes reliqui scriptores. Tota enim sententia nititur verbis illis Ioannis Asiae et epistola regis Arabum, quae in litteris Simeonis Beth Arsamensis servata est. Sed epistola illa, quam valde suspectam et subditam esse supra vidimus, non magni habenda est, neque omnibus aliis fontibus repugnantibus quidquam efficere potest. Minoris etiam momenti sunt verba illa Ioannis, rege illo Christiano ab Aethiopibus constituto paullo post mortuo Iudaeos alium ex sua gente regem creasse. Etenim aperte coniecturae speciem prae se ferunt, qua auctor historiam illam ex Graecis desumptam cum epistola sequenti conciliare voluit,

Nec Graeci obstant, qui etiam illam narrationem habent, quae a Ioanne Malala accuratissime redditur, alioque loco praeterea Negranensium Christianorum persecutionem commemorant. Invenerunt enim duas illas narrationes, et diversis chronicorum locis inseruerunt. Persuasum igitur habeo, unam eandemque expeditionem ab omnibus scriptoribus commemorari, quum altera opinio aut nullis aut incertissimis saltem fundamentis fundata sit.



Iam ad priorem quaestionem redeamus. Animadvertimus, constare ex reliquis scriptoribus, regem Aethiopum tum temporis Christianum fuisse, itaque verum esse non potest, post bellum illud Iustiniani tempore Christianam religionem iterum in Aethiopiam introductam esse. At nihil impedit, quominus hoc paullo ante factum esse statuamus. Ioannes Malalas enim aut quisquis est auctor illius narrationis potuit scire, Aethiopes hoc tempore fere Christianos esse factos, nec ignoravit bellum inter Aethiopes et Hamiaritas gestum, duas res autem coniunxit, ut melius illud sibi externa occasione explicaret, atque hac ratione totam illam historiam composuit, ut in Ioanne Malala, Syro ceterisque scriptoribus legitur. Quamvis coniectura sit, eam tamen ex rerum natura progressam puto atque quum certi fontes deficiant, hoc mihi verisimillimum apparuit, quum omnes dificultates ita perbene tolli possint, nec velim totam illam narrationem reiicere. Graecus enim scriptor, ex quo Syrus historiam illam exscripsit, eodem certe tempore, quo haec gesta sunt, vixit, quum Syrus ipse

Iustiniani aetate vitam degeret. Itaque si religio Christiana magnos progressus fecisset, semperque in Aethiopia inde a Constantini tempore mansisset integra, incredibile esset, scriptorem illum hoc fugisse, et Syrum plurimosque Graecos eum esse secutos. Testimonium aequalis auctoris sine dubio maximi momenti est, neque exiguis causis evertendum, praesertim quum omnes scriptores ante eum de Christiana in Aethiopia religione omnino taceant. Puto igitur, Christianam religionem non tantum, quantum plurimi viri docti existimant, eventum habuisse, postea vero, quum commercia Aethiopum cum Graecis cessarent, aut plane eversam, aut certe valde deminutam esse. Deinde, quum monophysitae ex aliis regionibus expulsi eo contenderent, vestigia Christianae religionis renovabantur, et commercia iterum nata sunt, ut legationes illo tempore frequentes demonstrant.

Iam vero bellum illud accuratius contemplandum est. Ex Philostorgio (1) scimus, Constantii tempore Theophilum Arianum, eundem quem supra vidimus, ad Arabes missum esse, Hamiaritarum principem Christianum factum, tres ecclesias in urbibus Thaphar, Adane, Hormuz, aedificatas esse. Alii scriptores ecclesiastici Arianis infensi nihil huius rei commemorant, attamen confirmari videtur ab Arabum scriptore Hamza, qui narrat, regem Abd Calal Ibn Mathub religionem Christi amplexum, sed palam profiteri non ausum esse, qui princeps Constantii tempore

(1) Lib. II, 6. III, 4.

regnasse videtur. Successum tamen non magnum fuisse putandum est, quum Theodorus lector (1) Anastasii tempore Immirenos Christianos factos episcopum accepisse scribat. Immirenos autem eosdem cum Hamiaritis esse omnes viri docti consentiunt. Eodem tempore, si manuscripto nostro fides habenda est, per Fimionem seu Euphemionem (2) monachum ex Syria profectum Christianam religionem in urbem Nagran introductam esse discimus, eiusque discipulum fuisse Abdallam filium Althamir. Sed maxima incolarum pars ex paganis Iudaeisque constabat. Tunc igitur Dhu Nowasus Iudaeus maximis crudelitatibus Christianos persecutus est, Elesbaanus autem Aethiopum rex Christianus opem iis tulit, atque rex ille Hamiaritarum victus fugatusque ipse mortem sibi conscivit. In hoc omnes consentiunt, quod ad singula attinet, in diversa abeunt. Alii Christianorum propter religionem persecutiones, alii mercatorum Romanorum vexationes, Procopius tributa Christianis supra modum imposita causam illius belli fuisse tradunt, neque tamen his in rebus inter se repugnant, sed omni ratione Iudaeum illum regem Christianos insectatum esse docent. Non opus videtur, ut inquiramus, qua ratione martyres illi mortem subierint, et quantus eorum numerus fuerit, quibus de rebus multa apud Walchium invenies. Nomina quidem regum diversissima sunt, nec opera dignum videtur, ut in iis explicandis et per-

(1) Histor. eccles. Lib. II.

(2) In Graecis nominibus Arabes syllabam εὐ negligere solent.

scrutandis longe versemur, sed ut uno conspectu omnia videantur, hic comprehendamus. Aethiopici regis nomina sunt Andas, Adad, Aidug, David, Elesbaan, Elestheaeus, ex Aethiopum monumentis Caleb; Homeritarum rex autem nominatur Dimnus, Damianus, Dimianus, Damnus, Dunaan, Dhu Nowasus, Iosephus. Notum est parum diligentiae in nomina conferri, et evidenter confirmatur, si cogitamus Graecorum narrationes, quamvis omnes ex uno fonte manaverint, tamen in his tantopere discrepare. Retineamus autem Dhu Nowasi et Elesbaani nomina, quae plurimis certissimisque fontibus nituntur. Arabici enim regis nomen ex Arabum tantum narrationibus merito derivari potest, quum Graeci saepissime Arabum nomina commutent, neque tale proferant, quod Arabicam vocem sonet. Elesbaani nomen, si exiguas mutationes excipias, a Nonnoso, Simeone Metaphraste, Ioanne Malala, Theophane reliquisque Graecis fere omnibus confirmatur, nec potest contra hos Procopii testimonium quidquam efficere, qui Ellestheaeum eum appellat. Maximi autem momenti est, quod etiam Cosmas Indicopleustes, qui eodem tempore in Aethiopia versabatur, regem illum Elesbaanum vocat, eumque Iustini tempore bellum Homeritis intulisse confirmat.

His rebus gestis rex Alexandriam legatos misit, et inde episcopum accepit, quo mortuo per viginti quinque annos episcopo carebant Arabes, quum synodum Chalcedonensem agnoscere nollent. Tum autem presbyteri ex suis episcopum elegerunt, eumque evangelii

libro capiti imposito consecravere. Hoc quidem a Ioanne Asiae narratur, quod num verum sit nescio, quum reliqui taceant, veritati tamen non repugnare videtur. Fortasse primus episcopus est ille Ioannes, paramonarius ecclesiae Alexandrinae S. Ioannis, quem ipse antea ex Graecis nominaverat, idem quem Ioannes Malalas profert, alter autem Gregentius esse videtur, qui Abrahami aetate vixit, eodemque anno quo Abrahamus rex, quem postea videbimus, mortuus est, triginta annos episcopatu functus, ut ex Gregentii (1) cum Erbano Iudaeo disputatione liquet. Temporum difficultates, quae Assemanum aliosque viros doctos valde anxerunt, eo dirimuntur, si respicias quod de Abrahamo et de temporum rationibus dicemus.

Aethiopum rex autem Elesbaan, postquam Hamiaritarum regnum in potestatem suam redegit, Aretham regem sive praefectum ibi constituit, ac praesidio relicto in patriam reversus est. Seditione autem exorta Abraham unus ex exercitus ducibus rex creatus regnum sibi arrogavit. Ioannes Asiae Syrus et Simeon Metaphrastes Aretham regem omittunt et Abrahamum ab Aethiopum rege primum constitutum esse volunt. Attamen hac in re illis non credendum est, quum Procopius et Arabes consentiant. Testimonium autem gravissimum hic mihi videtur Theophanis supra

(1) Vid. Lambecium de biblioth. Caesar. Lib. 5. p. 128. Fabricius biblioth. Graec. Vol. IX. p. 14. s. Wolfii biblioth. Hebr. Tom. I. p. 353. Tom. III. p. 234.

laudatum (1), qui narrat bellum Persicum iterum renovatum esse eo, quod Homeritae Indi legationes ad Romanos miserint et imperator Iulianum magisterianum cum sacra ad Aretham regem Aethiopum destinaverit. Legatio enim illa Iuliani eadem est, quae a Procopio et Malala commemoratur, minus recte tamen eam, quae a Iustiniano missa est, anno septimo Iustini minoris adscribit. Arethas rex autem sine dubio ille est Hamiaritis ab Aethiopibus praefectus, nec dubitare possumus, Aretham fuisse eius nomen, quum Arabes consentientes id comprobent, quippe qui Ariathi nomine eum appellent, neque audiendi sunt Procopius neque Ioannes Malalas, quorum alter Esimiphaeum, alter Anganem eius nomen fuisse tradunt. Quod ad historiam vero ipsam adtinet, Procopius mirifice cum Arabibus consentit, Aretham regem ab Abrahamo seditione facta esse abrogatum, adiiciunt tamen Arabes, seditionis causam fuisse, quod praedam neglecta plebe inter nobiles dispertitus esset, Abrahamum vero ignobili loco natum esse, Procopius testis est narrando, Romani mercatoris, qui commercii causa in urbe Adulis commoratus sit, servum eum fuisse.

In haec tempora cadunt etiam legationes Iustiniani imperatoris ad Hamiaritas et Aethiopes, quae a Nonnoso commemorantur, quarum una Nonnosus ipse

---

(1) Vid. supra p. 14. Falso Philippus Labbe in notis ad Theophanem Byzantinum (de Byzantinae histor. scriptoribus ed. II. Venetiana p. 210. edit. Parisiens. p. 113). Theophanem id anno Iustiniani septimo narrasse dicit.

functus est. Procopius autem nec non Theophanes in loco illo supra laudato Iulianum legationi ad Homeritas et Aethiopes praefuisse tradunt, quod dubium relinquit, num eadem sit legatio nec ne. In Ioanne Malala accuratius ea describitur, qua ex descriptione etiam elucet, connexum inter Aethiopes et Romanos antea non magnum fuisse, quum legatio tanquam res nova et inaudita Aethiopum regi appareat, barbari autem Aethiopum mores legatum admiratione afficere videantur. Iustinianus imperator Christianorum horum regum amicitiam sibi conciliare voluit, ut in bellis cum Persarum rege gerendis auxilium ferrent Persasque ex illa parte aggrederentur. At quod voluit non effecit, sive quod Aethiopum regnum in Arabia felici propter hostes internos infirmum erat, sive quod magnam Persarum potentiam metuebant. Iostius putavit, Christianorum persecutionem a Dhu Nowaso esse perpetratam auctore Persarum rege illi amico, non temere nec sine quadam veritatis specie, scriptores autem nihil huius rei commemorant, nec opus videtur illud assumere ad persecutionem illam explicandam.

Abrahamus in urbe Sanaa Christianam ecclesiam exstruxit, omnesque Arabes ad religionem Christi adigere studuit, quamobrem Caabam sacrum Meccanum evertere voluit, maxima autem exercitus pars periit, lapidibus magnis quos aves ex aëre proiiciebant, aut quod prababilius est variolis, quas Aethiopes primi in Arabiam comportaverant. Abrahamus ipse in hac expeditione, quae elephanti nomine nota est, quod in

grandi elephanto vehebatur, mortem obiit, filiique eum secuti sunt Iacsum et Mesruk, qui multis facinoribus perpetratis Hamiaritarum odium et invidiam sibi collegerunt, donec Maadi Carb Persarum auxilio Masrukum ultimum Habessinorum regem imperio vitaque privavit, ipseque regnum usurpavit a Persarum rege confirmatus. Qui quum paullo post ab Habessinis satellitibus necatus esset, Persarum rex praefectos ibi constituit, quibus populus parebat usque ad id tempus quo Mohammedi fidem acceperunt (1).

Secutus sum his in rebus Masudium qui mihi ex omnibus scriptoribus hic maxime credendus videtur. Reliqui enim Maadi Carbum omittunt eiusque patrem Seiph in imperio Masrukum secutum esse testantur. Masudius autem Seiphum antea iam apud Persas commorantem mortuum esse tradit, quod ab Achmede Ebn Iusef comprobatur, idemque in manuscripto nostro pag. 203 vers. Soheilii auctoritate confirmatum legitur, ubi tamen quamvis immerito ut opinor id reprehenditur.

Magna tamen difficultas inde existit, quod Ibn Coteiba et Hamza quibus Abulfeda consentit Dhu Djadanum (2) regem adiiciunt, qui Dhu Nowasum illum in regno exceperit, quibus Hamza Dhu Iazanum etiam addidit, sexaginta fere annos eos regnasse docens. De Sacy(3) vir doctissimus optime coniecit,

---

(1) Pococke spec. p. 66.

(2) In Ebn Coteiba legitur Dhu Hadhan ذو حذن.

(3) *Memoires de l'Acad. des inscript.* Tom. 48. p. 532.

reges illos eodem tempore cum Habessinis in Iemana regnum obtinuisse et cum illis de imperio certasse, illos viros autem fuisse Dhu Djadan, Dhu Iazan et Seif filium Dhu Iazani. Attamen res dubia manet, quum omnes scriptores hac de re taceant. Locus Hamzae mihi corruptus videtur, fortasse Schultensius minus recte manuscriptum reddidit, quod viro doctissimo saepius contigit. Mirum sane esset, si Hamza traderet Dhu Iazanum et Dhu Djadanum sexaginta annos regnasse, quamvis antea omnino non dixerit eum regnum habuisse. Deinde Hamza ex Hamiaritis viginti sex reges in Iemana regnasse testatur, qui numerus tantum efficitur, si Dhu Iazanum exceperis, Ibn Coteiba denique ex quo Hamza totum locum exscripsit, Dhu Iazani mentionem non fecit, sed legitur verborum illorum loco, Dhu Nowasi imperium durasse octo et sexaginta annos (1). De Sacyi coniectura tamen constare potest, si ponas Dhu Djadanum Hamiaritam per aliquod tempus cum Aethiopibus de imperio contendisse, deinde autem ab iis victum esse. Seiphus autem ad contumeliam qua Abraham uxorem eripiendo eum affecit ulciscendam regnumque recuperandum Romanorum imperatorem adiit, et quum nihil ab eo impetraret Persarum opem imploravit. Morte tamen opressus rem perficiendam filio suo Maadi Carb reliquit

---

(1) Totum locum transcribere libet ثم اقام مكانه ذو حذن الحميرى فقاتلوه وهزموه ايضا حتى لجوه الى البحر فاقتحم فيه فغرق ومن تبعه من صحابه وكان ملك ذو نواس ثمانيا وستين سنة

qui cum Persarum exercitu Masrukum ultimum Habessinorum regem vicit regnumque usurpavit.

Historia ita exposita, iam temporum rationes quantum ex vestigiis datis licet indagare conabimur. In loco illo ex Cosma Indicopleuste supra allato, bellum illud Aethiopum cum Hamiaritis Iustino imperatore gestum esse invenimus, nec repugnat Procopius, qui inter Iustiniani res gestas etiam belli illius mentionem fecit, quum vellet legationem tantum Iustiniani ad Aethiopes et Homeritas describere, reliqua vero, quae antea iam facta erant, occasione data adiiceret, ut terrae illius conditionem explicaret. Ex Ioanne Malala tempus derivari non potest, historiam narrat initio imperii Iustiniani, quo tempore fortasse legati regis Aethiopum vel potius Licinii augustalis ad Iustinianum mortuo iam Iustino pervenerunt episcopum novae ecclesiae impetraturi. Theophanes autem et qui eum secuti sunt anno ab incarnatione (1) 515, Iustini V persecutionem illam fuisse tradunt, nec aliter acta Arethae quae in Surio et Baronio leguntur. Initium autem actorum puriorum, quod Lequien (2) nobiscum communicavit, est, anno V imperii Iustini indictione II Antiochiae Syriae (3) anno DCCCXXXV mense Hyperberetaeo seu Octobri.

---

(1) Anni ab incarnatione secundum Theophanem octo annos post vulgarem aeram incipiunt.

(2) Oriens christ. Tom. II. p. 429.

(3) Ita legitur apud Lequien, κατὰ δὲ Ἀντιόχειαν τῆς Συρίας, neque tamen est vulgaris Antiochenorum aera sed Seleucidarum.

Magna hic existit difficultas. Scimus enim ex Ioanne Malala, Evagrio (1), chronico Edesseno (2) aliisque scriptoribus, die 9. Julii anno 518 aerae nostrae vulgaris Iustini imperium incepisse, quamvis Theophanes Aprili hoc factum esse confirmet. Quintus igitur Iustini annus die 9. Juli 523 finitur, indictio II autem Septembri anni 523, annus Syrorum 835 sive Septembri sive Octobri eiusdem anni incipit. Vitium igitur inesse videtur. Mirum autem, quod exstat simile exemplum in Chronico Edesseno (3) ubi narratur Antiochiae terrae motum fuisse anno 837 die 29. Maii et Assemanus ex Dionysii Chronico addit accidisse hoc anno imperii Iustini 7, qui erat annus 837, cui consentit Evagrius, qui anno imperii Iustini septimo mense decimo hoc factum esse refert. Quo in loco coniicit Assemanus, diversas fuisse computandi rationes, ita ut septimum imperatoris annum numerassent, donec octavum completum fuisset, quasi dixissent, post annum septimum. Attamen haec explicatio nimis aliena ac violenta videtur, magis fortasse diversas de initio imperii Iustini opiniones ponere placebit. Iustinus enim dolo ac tumultu regnum impetravit, nec potuit statim post Anastasii mortem imperium capessere. Initium igitur eius imperii fuit fortasse fine anni 518 vel 519, quod Theophanes etiam

(1) Histor. eccles. IV. 1.

(2) Assem. biblioth. orient. I. 408. vid. etiam *Ideler Chronolog.* Tom. I. p. 461.

(3) Biblioth. orient. I, 414. *Ideler Chronolog.* 462.

innuere videtur, quum primum Iustini annum anno ab incarnatione 511 adscribat. Quae quum ita sint maiorem fidem habeo indictioni secundae, quae anno Syrorum 835 accuratissime respondet, atque persecutionem Octobri nostri anni 523 ponendam esse iudico. Ita etiam omnia optime sese habent. Simeon Beth Arsamensis enim in epistola illa die vigesima Canuni posterioris anni 835 se profectum esse confirmat a Nomani ditione ad regem Mondarum, rediise autem primo Sabato jejunii, ex tota autem epistola patet, persecutionem factam esse paullo antea. Tempus autem illud cum vigesima die Ianuarii anni nostri 524 congruit et sexto Iustini anno, ut recte Zacharias Melitensis vel quisquis est auctor Chronici Syriaci tradidit, quem immerito Assemanus (1) reprehendit, ipse septimum Iustini annum esse iudicans. Persecutionem igitur fine anni 523 accidisse credo, Simeon Betharsamensis mense Ianuario anni 524 iter illud iniit, Februario autem iam reversus nihil de Aethiopum cum Homeritis bello audivit, quod eodem anno gestum esse oportet. Restat autem difficultas quaedam quae mihi minoris momenti videtur. Theophanes narrationem illam Adadi Christiani facti Iustiniani anno 16 ab incarnatione 535 profert, nec aliter ii, qui eum secuti sunt. Ioannes Malalas autem, quem accuratissime hanc rem retulisse vidimus tempus omnino non indicat. Narratio igitur quum in libro ex quo desumpsit certa temporis indicatione careret, Theophanes

(1) Tom. I, 364. not. 1.

tamen ex indiciis nescio quibus tempus quamvis falsum adscripsit.

Itaque Graeci fontes cum Syriacis optime hic consentiunt et temporis constituendi certissimi occasionem praebent.

Ad Arabes autem quod adtinet, eorum chronologia ante Muhammedis tempora tam incerta est atque ambigua ut valde dubitem, quin inde tempus quo res aliqua acciderit cum ulla veritatis specie cognosci liceat. Nihilominus de Sacy vir doctissimus regum Hamiaritarum aeva inquirere conatus est magno cum ingenio ac sagacitate, neque tamen hoc effecisse mihi videtur, ut omnia ad liquidum confessumque sint perducta. Initium autem imperii Aethiopum anno 529 fuisse docet, maxime Hamzae auctoritati confidens. Argumentationis fundamentum autem est elephanti aera quae ex vulgari sententia anno 571, Anuschirvani 41 incepit, cui etiam Masudius consentit, qui eam anno 882 ab Alexandro adscribit, quo anno Abraham mortuus est. Ariathus et Abrahamus regnavere secundum Hamzam 43 annos indeque initium regni Aethiopum anno 529 vel 530 fuisse probat. At vero non pro certo habemus, num elephanti aera vere anno 571 inceperit, immo Hamza (1) ipse dicit, alios aeram posuisse anno Anuschirvani 40, alios anno 41, alios anno 43. Altero loco autem in priore parte libri decimi, qui tractat de aevis veterum Arabum ante Muhammedem fusius hanc rem pertractat, aeramque ele-

(1) Rasmussen hist. praec. Ar. regn. p. 126.

phanti initium cepisse ab Anuschîrvani 34 docet. Quam si sequimur sententiam, initium aerae elephanti anno 565 ponendum est. In codice manuscripto nostro initium aerae anno 886 ab Alexandro adscriptum invenimus, quod nostro 574 vel 575 respondet. Quae si consideramus ex his aegre de tempore aliquid constitui posse apparet, immo vero ex Graecis Syriacisque fontibus potius elephanti aerae initium derivandum videtur.

At singula regum aeva non minus incerta sunt, quamvis in eo fere omnes consentiant ut Aethiopibus regnum 72 annorum attribuant Taberita excepto, qui 73 annos regnasse eos tradidit. Secundum Hamzam autem Ariathus annos 20, Abraham a. 23, Iaksum a. 17, Mesruk a. 12 regnaverunt, cui consentit codex manuscriptus Goth. كتاب الاغانى (1) qui Abrahamo tamen tantum 21 annos, Iaksumo contra 19 annos adscribit. Masudius autem plane a reliquis discrepat, quum Ariathum 20 annos, Abrahamum 43, Masrukum tres annos imperium habuisse referat. Iacsum quamdiu regnaverit non indicat, Abrahamum tamen anno Anuschirvani 40, Masrukum autem anno eiusdem regis 45 occisum esse tradit, ex quo coniici potest, eum duos tantum annos regnasse. Aethiopes autem hac ratione 68 annos tantum regnassent, cui Masudius ipse repugnat quum 72 annos iis tribuat, initium autem regni fuisset anno 508 quod magnopere a Graecorum testimoniis abhorret. Masudio igitur his in re-

(1) Möller catal. libr. manuscr. p. 196.

bus nulla omnino fides habenda est. Si autem codici illi manuscripto Gothano fidem tribuimus et aeram elephanti Hamza teste anno 34 Anuschirvani incepisse credimus, omnia bene sese habent Graecisque consentiunt. Tum enim Aethiopes rerum potiti essent 41 annos ante initium illius aerae, aerae autem initium esset anno 565, unde sequitur initium regni Aethiopum anno 524 esse ponendum, id quod supra ex Graecis Syrisque fontibus invenimus. Iam vero si rectum est, quod fere omnes Arabes perhibent, Aethiopes 72 annos regno praefuisse, Masrukus anno 596 occisus sit necesse est.

Difficultas autem inde exoritur, quod omnes Arabum scriptores Seiphum a Cosroe Anuschirvano auxilium petiisse narrant, quem anno 579 mortuum esse scimus. At haec difficultas etiam bene solvi potest, si rectum est, quod supra monuimus, Masrukum in regno non Seipho sed filio eius Maadi Carbo cessisse, qua re Masudii testimonium aliis argumentis sustentatum magnopere confirmatur. Seiphus quidem potuit ad Anuschirvanum proficisci opemque eum implorare, Persarum rex autem, ut ex Arabibus scimus, Romanorum bellis impeditus auxilium non statim ferre potuit, ita ut Seiphus mortem obiret priusquam in patriam redire posset. Maadi Carbo autem filio deinde revera cum Persarum ope contigit terram expugnare regnumque usurpare. Nec maior fides habenda est carmini Ommiae (1) cuiusdam, qui Sei-

(1) Hist. Ioct. p. 14. 15.

phum ab Heraclio imperatore Romano auxilium petiisse testatur.

Historia ita quantum ex viribus meis fieri potuit illustrata, tabulam libet proponere ad annos vulgaris nostrae aerae compositam, ex qua omnia uno in conspectu videantur.

a. 491. Initium regni Cobadis regis Persarum.
518. Iustinus imperator Romanorum.
523. Dhu Nowasus Christianos persequitur.
524. Dhu Nowaso ab Aethiopibus victo, Ariathus sive Arethas sufficitur.
527. Iustinianus imperator.
531. Anuschirvanus Persarum rex.
544. Abraham.
565. Aera elephanti, Iaksum, Muhammedis natalis, Iustinus II imperator Rom.
578. Tiberius imperator Rom.
579. Hormisdas Persarum rex.
582. Mauritius imperator Rom.
584. Mesruk.
596. Maadi Carb.
602. Phocas imperator Rom.
610. Heraclius imperator Rom.
622. Mohammedis fuga (Hedjra).

Adnecto iam excerpta quaedam ex manuscripto supra laudato Amadeddini Abulfedae Ismael f. Kethir, in regia nostra bibliotheca Berolin. sub nro. 77. fol. asservato, quae quamvis cum fabulis commixta sint, hic depingere non alienum habui, quum certe demonstrent, quae Arabes primis iam temporibus hac de re tradita habuerint, itaque quodammodo supplere videantur ea quae Schultensius vir doctissimus hac de re iam edidit.

---

p. 183. vers. lin. 11.

قال (1) الامام احمد بن عفان بن سلمة عن ثابت عن عبد الرزاق بن ابى ليلى عن صهيب ان رسول الله صلّى الله عليه وسلّم قال كان ملك فيمن كان قبلكم وكان له ساحر فلما كبر الساحر قال للملك انى قد كبرت سنى وحضر اجلى فادفع لى غلاما فلاعلمه السحر فدفع اليه غلاما كان يعلمه السحر وكان بين الساحر وبين الملك راهب فاتى الغلام على الراهب فسمع من كلامه فاعجبه نجوه وكلامه وكان اذا اتى الساحر ضربه وقال ما حبسك واذا اتى اهله ضربوه وقالوا ما حبسك فشكى ذلك الى الراهب فقال اذا اراد الساحر ان يضربك فقل حبسنى اهلى واذا اراد اهلك ان يضربوك فقل

حبسنى الساحر قال فبينما هو ذات يوم اذا اتى على دابّة (2)
قطيعة عظيمة قد حبست الناس فلا يستطيعون ان يجوزوا
فقال اليوم اعلم امر الساحر احبّ الى الله ام امر الراهب قال
فاخذ حجرا فقال اللهم ان كان امر الراهب احبّ اليك وارضى من
امر الساحر فاقتل هذه الدابّة حتى يجوز الناس ورماها فقتلها
ومضى الناس فاخبر الراهب بذلك فقال اى بنى انت افضل
منى فانك ستبتلى فان ابتليت فلا تدلّ علىّ فكان الغلام يبرى
الاكمه والابرص وساير الادوا ويشفيهم وكان جليس للملك فعمى
فسمع به فاتاه بهدايا كثيرة فقال اشفى ولك ما ههنا اجمع
فقال ما انا اشفى احدا انما يشفيه الله عزّ وجلّ وان امنت به
دعوت الله فشفاك فامن فدعا الله فشفاه ثمّ اتى الملك فجلس
معه نحو ما كان يجلس فقال له الملك يا فلان من ردّ عليك
بصرك فقال ربّى قال انا قال لا ربّى وربّك الله قال ولك ربّ غيرى
قال نعم ربّى وربّك الله فلم يزل يعذّبه حتى دلّ على الغلام
فأتى به فقال اى بنى بلغ من سحرك ان تبرى الاكمه والابرص
وهذه الادوا قال ما اشفى انما يشفى الله عزّ وجلّ قال انا قال لا
فقال لك ربّ غيرى قال ربّى وربّك الله قال فاخذه ايضا بالعذاب
ولم يزل به حتى دلّ على الراهب فأتى بالراهب فقال ارجع عن
دينك فابى فوضع المنشار فى مفرق راسه حتى وقع شقّاه وقال
للاعمى ارجع عن دينك فابى فوضع المنشار فى مفرق راسه حتى
وقع شقّاه وقال للغلام ارجع عن دينك فابى فبعث به مع نفر الى
جبل كذا وكذا وقال اذا بلغتم ذروة الجبل فان رجع عن دينه
والّا فهدهدوه فذهبوا به فلما علوا الجبل قال اللهم اكفنيهم بما
شيت فرجف بهم الجبل فدهدهوا اجمعون وجا الغلام متلمّس
حتى دخل على الملك فقال ما فعل اصحابك فقال كفانى منهم الله

فبعث به مع نفر فى قوم فقال اذا لججتم البحر فان رجع عن دينه والا فغرقوه فى البحر فلججوا به البحر فقال الغلام اللهم اكفنيهم بما شيت فغرقوا اجمعون وجا الغلام حتى دخل على الملك فقال ما فعل اصحابك فقال كفانا منهم الله ثم قال للملك انك لست بقاتلى حتى تفعل ما امرك به فان انت فعلت ما امرك به قتلتنى والا فانك لا تستطيع قتلى قال وما هو قال تجمع الناس فى صعيد واحد ثم تصلبنى على جذع وتاخذ سهما من كنانتى ثم قل بسم الله ربّ الغلام فانك اذا فعلت ذلك قتلتنى ففعل ووضع السهم فى كبد القوس ثم رماه وقال بسم الله ربّ الغلام فوضع السهم فى صدغه فوضع الغلام يده على موضع السهم ومات فقال الناس امنّا بربّ الغلام امنّا بربّ الغلام فقيل للملك ارايت ما كنت تحذر فقد والله نزل بك فقد امن الناس كلهم فامر بافواه السكك فخدّت فيها الاخاديد واضرم فيها النيران وقال من رجع عن دينه فدعوه والا فاقتحموه فيها قال فكانوا يتقارّون فيها ويتواقعون فجات امراة بابن لها ترضعه فكانّها تقاعست ان تقع فى النار فقال الصبى اصبرى يا امّا فانك على الحق

وحدثنى ايضا بعض اهل نجران عن اهلها ان اهل نجران كانوا اهل شرك يعبدون الاصنام وكان فى قرية من قراها قريبا من نجران ونجران هى القرية العظمى التى اليها جماع اهل تلك البلاد ساحر يعلم غلمان اهل نجران السحر فلما نزلها فيميون ولم يسموه لى بالاسم الذى سماه بن منبة قالوا رجل نزلها فابتنى خيمة بين نجران وبين تلك القرية التى فيها الساحر وجعل اهل نجران يرسلون غلمانهم الى ذلك الساحر فبعث الثامر ابنه عبد الله بن الثامر مع غلمان اهل

نجران وكان اذا مرّ بصاحب الخيمة اعجبه ما يرى من عبادته وصلاته فجعل يجلس اليه ويسمع منه حتى اسلم فوحّد الله وعبده وجعل يساله عن شرايع الاسلام حتى اذا فقه فيه جعل يساله عن الاسم الاعظم وكان يعلمه فكتمه اياه وقال له يا بن اخى انك لن تحمله اخشى ضعفك عنه والثامر ابو عبد الله لا يظنّ الا ان ابنه يختلف الى الساحر كما يختلف الغلمان فلما راى عبد الله ان صاحبه قد ضنّ به عنه ويخوف صنعته فيه ثم يعمد الى قداح فجمعها ثم لم يبق لله اسما يعلمه الا كتبه فى قدح لكل اسم قدح حتى اذا احصاها اوقد نارا ثم جعل يقذفها فيها قدحا قدحا حتى اذا مرّ بالاسم الاعظم قذف فيها بقدحه فوثب القدح حتى خرج منه لم تضرّه شيا فاخذه ثم اتى به صاحبه فاخبره انه قد علم الاسم الاعظم الذى قد كتمه قال وما هو قال كذا وكذا قال وكيف قد علمته فاخبره بما صنع قال اى ابن اخى قد اصبته فامسك على نفسك وما اظنّ ان تفعل فجعل عبد الله بن الثامر اذا دخل نجران لم يلق احدا به ضرّ الا قال يا عبد الله اتقى الله وتدخل فى دينى وادعو الله لك فيعفيك ممّا انت فيه من البلا فيقول نعم فيوحّد الله ويسلم ويدعو له فيشفا حتى لم يبق بنجران احد به ضرّ الا اتاه فاتبعه على امره ودعا له فعوفى حتى رفع شانه الى ملك نجران فدعاه فقال افسدت على اهل قريتى وخالفت دينى ودين ابائى لامثلنّ بك قال لا تقدر على ذلك فجعل يرسل به الى الجبل الطويل فيطرح على راسه فبقع الى الارض ما به باس وجعل يبعث به الى مياة بنجران محور(3) لا يلقى فيها شى الا هلك فيلقى به فيها فخرج ليس به باس فلما غلبه قال له عبد الله بن الثامر انك والله لا تقدر على

قتلى حتى توحّد الله فتؤمن بما امنت به فانك ان فعلت سلطت علىّ فتقتلنى قال فوحّد الله ذلك الملك وشهد شهادة عبد الله بن الثامر ثم ضربه بعصا فى يده فشجّه شجة غير كبيرة فقتله وهلك الملك مكانه واستجمع اهل نجران على دين عبد الله بن الثامر وكان على ما جا به عيسى بن مريم من الانجيل وحكمه ثم اصابهم ما اصاب اهل دينهم من الاحداث فمن هنالك كان اصل دين النصرانيه بنجران قال بن اسحق فهذا حديث محمد كعب وبعض اهل نجران عن عبد الله بن الثامر فالله اعلم اى ذلك كان قال فسار اليهم ذو نواس بجنده فدعاهم الى اليهودية وخيّرهم بين ذلك او القتل فاختاروا القتل فخدّ الاخدود وحرق بالنار وقتل بالسيف ومثل بهم فقتل منهم قريبا من عشرين الفا

p. 200. vers.

ثم ذكر بن اسحق سبب دخول اهل نجران فى دين النصارى وان ذلك كان على يدى رجل يقال له فيميون كان من عباد النصارى بالطراف الشام وكان مجاب الدعوة وصحبه رجل يقال له صالح وكانا يتعبّدان يوم الاحد ويعمل فيميون بعيد الجمعة(4) فى النبا وكان يدعو المرضى والزمنا واهل العاهان فيشفون ثم استاسره وصاحبه بعض العراب فباعوها بنجران وكان الذى اشترى فيميون يراه اذا قام فى مصلا بالبيت الذى هو فيه فى الليل يمتلى عليه البيت نورا فاعجبه ذلك من امره وكان اهل نجران يعبدون نخلة يعلقون عليها حلى نسايهم ويعلقون عندها فقال فيميون لسيده ارايت ان دعوت الله على اهل هذه السحرة فهلكت لتعلمون ان الذى انتمر عليه

باطل قال نعم فجمع له اهل نجران وقام فيميون الى المصلا فدعا الله عليها فارسل الله عليها ريحا قاصفا فجعفها من اصلها ورماها الى الارض فاتبعه اهل نجران على دين النصرانية وحملهم على شريعة الانجيل حتى حدثت فيهم الاحداث التى حلّت على اهل دينهم بكل ارض فمن هنالك كانت النصرانيه بنجران من ارض العرب ثم ذكر بن اسحق قصة عبد الله بن الثامر حين تنصّر على يدى فيميون وكيف قتله واصحابه ذو نواس وخدّ لهم الاخدود قال بن هشام (5) وهو الخفر المستطيل فى الارض مثل الخندق واجّج فيه النار وحرقهم بها وقتل اخرين حتى قتل قريبا من عشرين الفا.

Dixit Imam Achmed filius Affani filii Hammadi f. Salamae ad fidem Thabeti et Abderrezzaki filii Abi Lailae et Soheibi, dixisse prophetam: (1) fuit olim rex cui erat fascinator, qui quum aetate provectus esset dixit regi, iam veterasco ac mors mihi imminet, da mihi iuvenem, quem doceam artem fascinatoriam. Dedit ei igitur rex iuvenem quem doceret: Erat autem inter fascinatorem et regem monachus, ad quem iuvenis veniebat sermones eius auditurus, et placebant ei arcana eius et sermones. Quum autem veniret ad fascinatorem, verberavit hic eum, dicens, quid te retinuit idemque quum veniret ad populum suum, ver-

---

(1) Eadem narratio in commentario Beidavii ad Coranum invenitur paullo brevius exposita in sur. 85.

berabant eum dicentes, quid retinuit te. Quae quum quereretur monacho, hic, quum fascinator, inquit, te vult verberare, dic, retinuit me populus meus, et quum populus te vult verberare, dic, retinuit me fascinator. Interim die aliquo, quum veniret ad bestiam (2) magni voluminis, quae impediebat homines, quominus possent praeterire, hodie, inquit videbo num res fascinatoris deo melius placeat an res monachi, et sumpto lapide clamavit, o deus, si res monachi gratior iucundiorque tibi est, quam res fascinatoris, occidam hanc bestiam, ut praetereant homines. Tum proiecto lapide occidit eam et praeterierunt homines. Narravit haec monacho. Hic autem, mi fili, ait, tu me superior es, tentaberis, neve indica me, quum tentaberis. Sanavit iuvenis coecos et leprosos aliosque aegrotos sanitatemque eorum restituit. Regi autem erat compotor coecus, qui quum de eo audivisset eum adiit cum multis muneribus eique dixit, sana me, et omnia haec tibi erunt. Ille autem non ego sano quemquam, nisi deus eum sanat qui honore ac laude celebretur, sed si credis in eum, invocabo eum, et te sanabit, atque quum ille crederet deum invocavit, qui eum sanavit. Tum venit ad regem et consedit cum eo, ut consuevit. Tum rex, quis tibi visum reddidit, cui ille, dominus meus. Hic vero interrogat, num ego. Tum ille respondet, non tu, sed dominus meus etiam tuus est dominus. Tum ille, num tibi alius est dominus praeter me. Affirmavit ille hoc, dicens, dominus

(2) Ex Beidavio videmus serpentem fuisse (حيّة).

meus ac tuus deus est. Deinde eum puniri iussit usque dum indicaret iuvenem. Arcessitum deinde allocutus est, mi fili, venit ad me fama artis tuae fascinatoriae, te sanare coecos et leprosos aliosque huius generis morbos. Ille autem non ego, ait, sano, nisi deus sanat, qui honore ac laude celebretur. Tum ille interrogavit, num ego. Quod quum negaret, respondit ille, num tibi alius est praeter me dominus. Tum ille, dominus inquit meus et tuus deus est. Quae quum dixisset rex eum prehendit et similiter verberibus affecit nec destitit ab eo, usque dum indicaret monachum. Tum eum arcessivit eique dixit: desiste a religione tua, et quum recusaret, posuit serram in vertice capitis eius, eumque dissecuit donec duae partes deciderunt. Deinde etiam coeco dixit, desiste a religione tua et quum recusaret, serram posuit in capite eius, donec deciderunt duae partes. Denique dixit iuveni desiste a religione tua, et quum recusaret, misit eum cum aliquot hominibus ad montem quendam, allocutus eos, quum venistis ad verticem montis et desistit ille a religione sua, liberate eum, sin minus, proiicite eum in voraginem. Profecti cum eo quum venissent ad montem, precavit ille, o deus, ab illis me libera, ita ut tibi placet. Et tremuit mons omnesque in voraginem sunt deiecti. Iuvenis autem venit viam sciscitans ad regem. Tum hic, quid faciunt socii et respondet ille, deus me ab iis liberavit. Tum eum misit cum multis hominibus eos allocutus, quum mare ingressi fueritis et ille a religione sua desistit, impune sit, sin minus, in mare eum submergite.

Quum vero mare ingressi essent navi, dixit iuvenis, o deus libera me ab iis ita ut tibi placet, et omnes submersi sunt, abiit vero iuvenis venitque ad regem. Ille quum interrogaret, quid socii agant, deus, inquit, ab iis me liberavit. Tum regi dixit, nihil de me vales, nisi feceris, quae tibi imperabo. Si autem, quod tibi imperabo feceris, interficies me, sin minus, non potes me interficere. Tum ille quid est inquit, et respondit, convoca homines in unum locum, tum crucifige me in trunco palmae, et sume sagittam ex pharetra mea et loquere, nomine dei, domini iuvenis, quum hoc feceris interficies me. Tum id fecit, et posita sagitta in arcu, iecit eam dixitque, nomine dei, domini iuvenis, et iecit sagittam in tempora eius, iuvenis autem manum posuit in loco, quem sagitta penetravit et mortuus est. Homines vero dixerunt, credamus in dominum iuvenis, credamus in dominum iuvenis. Deinde regi nuntiatum est, factum esse id quod voluisset impedire, et eo pervenisse, ut crederent omnes homines. Deinde iussit in extremis platearum finibus fossas fodi, et ignes accendi et dixit, qui desistit a religione sua, eum sinite, qui non, eum coniicite in eam. Tum praecipitati sunt et coniecti in eas. Venit etiam mulier cum filio, quem lactabat, cui quum abhorreret, quin iniiceretur in ignem, puer dixit, patiaris id, o mater, et in veritate manebis.

Et narravit mihi etiam quidam ex gente Nagranensi ad fidem gentis suae. Gens Nagranae erat populus, qui multos deos colebat et idola adorabat et in vico quodam prope Nagranam (et Nagran quidam

maximus vicus est, ad quem conveniunt homines illius regionis), erat fascinator, qui docuit iuvenes Nagranenses artem fascinatoriam. Quo quum venisset Fimiun (nomen autem quod ben Monba mihi nominavit, conticuerunt), et tabernaculum exstruxisset inter Nagranam et illum vicum in quo habitabat fascinator, gens Nagranae coepit mittere iuvenes ad illum fascinatorem. Eo etiam misit Elthamir filium suum Abdallam ben Elthamir cum adolescentibus Nagranensibus. Qui quum praeteriret aliquando dominum tabernaculi, admiratione affectus est magna quam vidit pietate et precatione eius. Coepit considere cum eo, et audiebat eum usque dum fidem agnosceret, et unitatem dei crederet eumque coleret. Coepit etiam quaerere ex eo leges verae fidei, ut sapiens in iis fieret. Tum coepit quaerere summum nomen. Nam docuerat eum omnia, sed hoc caelaverat. Tum ille eum allocutus est, o fili fratris mei, tu non perferes illud, vereor imbecillitatem tuam. Elthamir autem credebat, filium frequentare fascinatorem ut reliqui iuvenes. Abdallah autem quum videret, praeceptorem hoc tenaciter retinere quod timeret, ne ipsum proderet, coepit colligere sagittas, et omnibus sagittis nomen quod didicerat inscripsit, unicuique sagittae nomen. Quum numerasset eas, ignem accendit, coepitque omnes deinceps sagittas iniicere, usquedum venit ad nomen summum, et illam sagittam iniecit. Tum exsiluit illa sagitta, et progressa est integra. Tum cepit eam et portavit ad dominum suum, et narravit ei, se nunc scire nomen maximum, quod

caelavisset. Interroganti quod esset, nomen dixit, narravitque quomodo id fecisset. Tum ille, o fili fratris mei, invenisti iam illud, sed tecum retineas, neve putes te hoc fecisse. Deinde Abdallah ben Elthamir quum venisset Nagranam, quemcunque morbo afflictum invenit, allocutus est, o serve dei, timeas deum et transeas ad religionem meam et invocabo deum pro te, et sanabit te, et quum non recusarent et dei unitatem agnoscerent et in eum crederent, invocabat deum pro iis et sanati sunt ita ut nemo restaret Nagranae morbo affectus, ad quem non veniret, et precaretur ut sanaretur, usquedum relata est res regi Nagranae qui eum arcessivit et, populum meum, inquit corrupisti et repugnasti religioni meae et religioni patrum meorum, propterea exemplum statuam in te. Tum ille respondit, id eum non posse efficere. Rex autem eum misit ad montem magnum et proiecit eum, et praecipitavit eum in terram, sed incolumis remansit. Deinde misit eum ad aquam ([3]) Negranae, in quam quaecunque conjiciebantur perierunt, et coniectus est in eam, sed integer evasit. Quod quum superassset, Abdallah ben Elthamir regem allocutus est, non potes me interficere, nisi unum esse deum credis, et in eum credis, quem credo, si hoc tamen feceris, in me praevalebis atque me interficies. Tum rex ille unitatem dei agnovit et testatus est testimonium Abdallae

([3]) In textu Arabico additur نحور quod fortasse نجور legendum est, et nomen fluminis oppidum Negran (نجران) praeterlambentis esse videtur.

b. Elthamir. Deinde laesit eius manum baculo. Ille autem eum vulneravit parvo vulnere, et interfecit eum et periit rex loco eius. Convenit gens Nagranae ad religionem Abdallae ben Elthamir et acceperunt evangelium et doctrinam, quam portaverat ad homines Iesus filius Mariae. Tum afflixit eos fossarum calamitas, quae fidei gentem perculit. Ex hoc tempore fuit origo religionis Christianae Negranae. Dicit Ebn Ishak, hanc esse narrationem Mohammedis Caabi et nonnullorum e gente Nagranensi de Abdallah ben Elthamir, deus autem scit, quomodo factum sit. Dicit: Profectus est contra eos Dhu Nowas cum exercitu suo et invitavit eos ad Iudaismum et eligere eos iussit inter hunc et mortem. Quum mortem eligerent, fodit fossas et ignem accendit, et occidit eos ferro, et exemplum in iis statuit et occidit ex iis circiter viginti millia.

pag. 200 vers.

Narrat Ebn Ishak. Quod adtinet causam conversionis gentis Nagranae ad Christianismum, id factum est per virum, qui nominabatur Fimiun. Fuit ex cultoribus Christianorum in regionibus Syriae, cuius precationes deus audiverat. Cum eo coniunctus erat vir, qui nominabatur Saleh et colebant deum die Solis ambo viri. Fimiun autem festo Veneris die (4) sicut propheta concionari solebat et invitavit ad se

(4) Hunc locum in manuscripto male exaratum nescio num recte reddiderim, fortasse legendum est بقية جمعة reliquam hebdomadis partem.

aegros et morbo affectos et afflictos, et sanabat eos. Tum vinxerunt eum et socium aliquot Arabes vagantes et vendiderunt eum Nagranae. Is autem qui Fimionem emerat vidit eum stantem in loco precandi in domu, in qua erat, noctu, et domus circa eum luce repleta erat, et miratus est hanc rem. Gens Nagranae autem colebat palmas, quibus suspendebant feminarum ornamenta (*). Dixit Fimion domino suo, num vis, ut deum invocem contra has res fascinatorias ut pereant, et ut videatis vana esse ea quae creditis. Ille id permisit. Tum convenit ad eum gens Nagranae, Fimion autem stetit in loco precandi et invocavit deum contra eas (palmas), et misit deus ventum validum qui radicitus eas evulsit, et in terram iecit. Deinde secuta est eum gens Negranae in religionem Christianam et duxit eos ad viam evangelii, donec accidit, quod afflixit gentem huius religionis in tota regione, et ab hoc tempore erat origo Christianismi Nagranae in terra Arabum. Tum narrat Ebn Ishak narrationem de Abdallah ben Elthamir, quomodo Christianus factus sit per Fimionem et quomodo eum et socios occiderit Dhu Nowas qui fodit fossas. Dicit Ebn Hescham (5), id est, fodit fissuras in terra similes fossis. Tum accendit ignem in iis, et combussit eos et occidit alios, ita ut occideret circiter viginti millia.

(*) In textu leguntur etiam verba ويعلقون عندها vitio fortasse repetita.

(5) Est explicatio verbi الاخدود, uti Hescham saepius Ishaki verba commentatur.